

tharini & Latitudinariorum in Angliâ est mediâ inter Ar-
minianos & Calvinianos sententia, quosdam homines ab-
solutè & irresistibiliter esse electos, alios ex prævisione fidei
& operum, ex gratiâ sufficiente quidem, sed in hominis po-
testate, utrum eam accipere, an repudiare velit, relictâ pro-
fectorum.

VII. Non fuisse quandam olim Prædestinatorum hæ-
resin, contra Prædestinatum Jac. Sirmondi, nec J. Awræus,
nec G. Maugvinus, nec recentissimè Ph. Buchius sufficien-
ter demonstrarunt.

VIII. Reprobationis causa immediata est infidelitas,
mediata & merito omne peccatum. II. Thess. I. 8.

IX. Proscriptio doctrinæ de absolutâ reprobatione im-
pietatis eandem arguit. Joh. III. 20.

X. Vera de reprobatione doctrina, si publicè propona-
tur, ad coercendos in officio bonos & absterrendos à sce-
leribus malos efficacissima est. II. Thess. I. 9.

XI. Cum in Formulâ Conc. plerique Calvinianorum
in hoc articulo errores disertis verbis & apertè sint conde-
mnati, quâ temeritate Ph. Buchius scribere potuit, *intactam*
in eâ esse Reformatorem de Prædestinatione doctrinam?

XII. Ex eodem veritatis fonte profluit, quod idem as-
serit: *nonnullos Lutheranorum*, (quibus & Lubinum nostrum
accenset) *absolutum prædestinationis decretum longè rigidius*
asserere, quam Reformatorem ullum?

Disp. XXI.

De

Christo Redemptore.

I.

Qui nomen JESU à quâcunqve aliâ origine quam ab
Hebræâ voce: *יֵשׁוּעַ*, deducunt, Angelo, nominis hu-
jus significationem evolventi, contradicunt, Matth.
I. 21.

II. Cum Divinæ majestatis usus Christo collatus esse
dicitur, Phil. II. 9. 10. (is enim citra dubium per nomen su-
per

D 2